

post Moysen Semiramidem fuisse affirmat, quae apud Assyrios ante
 Inachum regnavit annos centum L. Itaque juxta eum DCCC
 pene et quinquaginta annis Trojano bello Moyses senior inveni-
 tus. Cum haec ita se habeant, necessarium duxi, & veritatem dili-
 gentius persequi, et tempora regnorum contra se invicem ponere,
 ac singularum gentium annos dinumerare, ut quid cuique co-
 aetaneum fuerit, curioso potissimum ordine notare. Neque me fugit
 in hebraeis codicibus diversos aetatum annos inveniri, plusque vel
 minus, prout in interpretibus visum est lecti tui, sequendumque
 illud potius, quod exemplariorum multitudo in fidem traxit.
 Verum, utcumque quis volet, computet, reperiet, Inachitempo-
 ribus, quem primum Argis regnasse ajunt, patriarcham He-
 braeorum fuisse Ifrachem, a quo XII Tribus Ifrachelis vocabulam
 sortitae sunt, Semiramidem autem et Abraham contempo-
 rales fuisse manifestum est. Nam Moyses licet junior supra dictus
 sit, omnibus tamen, quos Graeci antiquissimos putant, senior
 deprehenditur, Homero scilicet et Epiodo, Trojanaque bello, ac
 multo superius Hercule, Museo, Lino, Chirone, Orpheo, Castore
 ac Polluce, Apolline, Aesculapio, Ibero, Mercurio, et ceteris diis
 gentium sacrisque vel vaticibus, ipsius quoque Jovis gestis,
 quem Graeci in arce divinitatibus collocavit. Hos inquam
 omnes quos enumeravimus etiam post Cecropem ~~de~~ desien
 primum Atticae regem, fuisse convincimus. Cecropem autem
 Moysi coetaneum historiae ostendunt, et ante Trojanum bellum
 fuisse CCCL annis. Quod ne cui dubium videatur, sequens
 ratio sic probabit. Quadragesimo secundo anno imperii Augusti
 Christus natus est, XV. Tiberii anno praedictore usus est. Si quis igitur
 retrosum computans annorum numerum, alterum Darii regis
 Persarum quaerat annum, sub quo Templum Hierosolymorum,
 quod a Babyloniis destructum fuerat, restauratum est, reperiet
 a Tiberii XV. usque ad Darium annos DXCVI. Darii quippe secun-
 dus annus sexagesimae quintae Olympiadis anno primo fuit,
 et Tiberii quindecimus in ducentesima prima Olympiadis an-
 num quartum finitur. Fuit ergo inter Darium ac Tiberii XV.
 annum Olympiades CXXXVI, anni DXCVI, quadriennis
 in una Olympiade subputato. Deinde secundo Darii anno
 septuagesimus desolationis Templi annus expletur, a quo
 usque ad primam Olympiadem retrosum numerantur
 Olympiades CXLIII, anni CCXVI, qui similiter subputantur,
 a supra dicto desolationis Templi anno usque ad XLIX annum
 Ozie regis Judaeorum, sub quo Ysaia et Osee fuerunt. Itaque